



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Örigenus Tōn Eis Tas Theias Graphas Exēgētikōn Apanta Ta Ellēnisti Heuriskomena**

Cui idem præfixit Origeniana, Tripartitum opus, quo Origenis narratur vita,  
doctrina excutitur, scripta recensentur

**Origenes**

**Rothomagi, 1668**

II. Alexandriam redit,

**urn:nbn:de:hbz:466:1-25059**

A *Commentariis illustrare aggreditur, IX. Commentarios in Johannem, & in alios Scripturæ libros inchoat, X. in Achaiam per Palestinam proficiscitur, XI. Athenis discedens Ephejo iter habet, XII. Casarea Presbyter jam ante fuerat ordinatus. Alexandria pellitur, XIII. Cum, ne vitaretur ab Aethiops, idolis sacrificasset, XIV. Casream Palestinæ concedit. XV. Confutantur nonnulli, qui Origenem ab Heracla Alexandria depulsum fuisse scripserunt. XVI. Ecclesiastica mania obit; à multis fo vetur Ecclesiis; XVII. Palestinam perlustrat. XVIII. Vtrum viginti & octo annos Tyri transegerit. XIX. Gregorium Thaumaturgum & Athenodorum fratres, aliosque in literis sacris & profanis instituit, Isaiam & Ezechielem Commentariis exponit.*

I. **S**EVERVM interim, cum jam aliquoties interficere adortus esset Caracalla filius, mors ex agritudine confecta est, expleto Imperij decimo octavo anno, ætatis vigesimum sextum agente Origene. Hic post aliquot deinde annos Romam ire contendit, Romanæ Ecclesiæ videndæ studio, cui tunc præerat Zephyrinus Papa, Tempus itineris ab Eusebio prætermisum conjectura assequi studet Baronius, & in primum Elagabali rejicit annum, qui Zephyrini decimus octavus, & postremus fuit, causamque profectio-  
 C *ni Mammaam Alexandri matrem dedisse suspicatur, cum post accersitum ad se Antiochiam Origenem, Elagabalum Imperium ineuntem Romam esset comitata. Verum hæc aliter Eusebio temporibus divisa sunt: tunc enim à Mammaa Antiochiam accitum fuisse Origenem satis aperte significat, & disertis quoque verbis post illum Suidas, cum rerum potretur filius eius Alexander. Qui postquam Imperium adeptus est, non alias Antiochiam ivit Mammaa, quam cum Perlas Romanis finibus imminentes bello refutare aggressus est. Hæc multis post Zephyrini obitum annis inciderunt. Cum autem Imperator renuntiatus est Elagabalus, Emeas commorabatur Mammaa, neque in tanta rerum conversione curiosis auditionibus operam dare potuisse verisimile est. Ecquanam porro causa fuerit Baronio, cur incertam Origenianæ in Italiam profectiois occasionem comminisceretur, Mammaæ nempe affectandæ studium, cum veram expresserit Eusebius, Romanæ nimirum Ecclesiæ, omnium, ut ipse scribit, antiquissimæ, penitus cognoscendæ desiderium, non video. Hoc ergo iter Severi inter obitum, qui anno Zephyrini undecimo contigit, ipsiusque Zephyrini mortem, quæ ad alterum Elagabali annum pertinet, conferre satis habeamus: à tempore autem præcise designando, cum ne conjecturæ quidem locum nobis Veterum monumenta præbeant, abstineamus. Id in decimo tertio Zephyrini anno Historici quidam constituunt, quod ab Eusebij rationibus non discrepat, & mihi satis probatur.*

II. Propere perlustrata Roma, statim Alexandriam Origenes repetiit, traditaque ei rursus est à Demetrio Catechumenorum Christianis dogmatis imbuendorum cura. Quo cum in opere, omisissis cæteris studiis, dies ac noctes urgeretur, nec sibi ad Scripturæ, divinarumque rerum peruestigationem reliqui quidquam facere posset, docendi munus cum Heracla, qui tum cæteris eius præstabat discipulis, ita partitus est, ut rudioribus prima doctrinæ Christianæ elementa hic traderet, maturiores ille & jam usu peritos reconditis dogmatis instrueret.

III. Hinc aliquantum lucratus otij, eo ad enodandas Scripturæ obscuriores intelligentias usus est, seseque in eo studio quotidianis commentationibus diligenter subegit. Verum cum operam suam absque Ebraicæ linguæ notitia frustra consumi intellexisset, id quoque ornamentum ac reliquias doctrinæ suæ laudes adjunxit. Iohannes Tritemius in libro De scriptoribus Ecclesiasticis res Origenis literis prosequens, ipsum ait jam senem contra  
 F *suam ætatem linguam Ebraicam didicisse. Perperam nempe accepit ista Hieronymi: Tantam in Hieron lib. Scripturis divinis habuit studij, ut etiam Ebraicam linguam contra atatis, genisque suæ naturam edisceret. Quæ sic intelligo, jam virilem ætatem adeptum Adamantium, quæ atas Grammaticas tricas ac quisquilias aspernari solet, & gravioribus studiis delectari, eo tamen demisisse animum, ut in hac arte se exerceret. Nulla illic senectutis significatio. Magdeburgenses vero idem narrant his verbis: Ita igitur otij aliquantulum nactus, ad discendam linguam Ebraicam, sua aliocui nature adversam, ut Suidas ait, minimum adiecit. Quæ illic habet Suidas, è Græca translulit interpretatione Hieronymiani Operis De scriptoribus Ecclesiasticis, ubi proxime adducta Hieronymi verba sic reddita sunt: ὅτι καὶ τὴν ἑβραϊκὴν ἀφελθεῖν ἐπατιεθεὶς ἐν τῇ τε ἰλιπία, καὶ τῇ οὐκ ἐστὶν ἐκμαθεῖν. Quod de Alexandrinæ gentis natura dixit Hieronymus, quæ juxta Græcorum omnium consuetudinem linguarum exoticarum notitiam contemnebat, id ad Origenis ipsius naturam Interpres pessime retulit. Vnde fraus Suidæ ac Magdeburgensibus facta.*

IV. Erat per id tempus Alexandriæ vir opibus ac dignitate florens, ingenio etiam spe-

b